

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGICÆ BIBLICÆ,  
DE AETERNA CONVERSIONIS  
OECONOMIA.

EX EZECH. XXXIII. II.

**T**extus Hebraeus: **חַי אֲנִי נְאֻם אֲדֹנָי יְהוָה אֲנִי אֲחַפֵּץ בְּמֹת הַרְשָׁע כִּי אֲנִי בָשׂוּב רָשָׁע מִדְּרָכָו וַחַיָּה:**

Latinus Vulgatus: *Vivo Ego, dicit Dominus Deus; nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, & vivat.* B. Lutheri Versio Germanica: **So wahr als ich lebe / spricht der HERR: Ich habe keinen Gefallen am Tode des Gottlosen / sondern daß sich der Gottlose bekehre / von seinem Wesen / und lebe.**

1. Post Aeternam Vocationis Oeconomiam, progredimur ad Aeternam Gratuitae Conversionis Oeconomiam, cum certum sit, (1) vocationem non esse simpliciter inefficacem, sed veram efficaciam secum habere, dum est divina vocatio per verbum, quod verbum nunquam simpliciter est infructuosum, sed in aliquibus semper fructuosum, Esa. LV. 10. 11. nam Deus ipse dicit: *quomodo descendit imber, & nix de caelo, & illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, & infundis eam, & germinare eam facit, & dat semen ferenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet, quacumque volui, & prosperabitur in his, ad quae misi illud:* jam autem post vocationem immediate nulla prior dicitur operatio, quam conversio. (2) Conversionem cum aversione coherere: nam ubi datur aversio, nulla datur ibi conversio, vice versa, quando, & quamdiu datur aversio, nullum ibi locum invenit conversio: jam a. immediate coherent conversio cum aversione: per aversionem homo cum Diabolo, sed per conversionem cum Deo dicitur esse: quamprimum cessat ad Deum conversio, statim incipit ad Diabolum aversio: quamprimum etiam definit aversio a Deo, statim incipit spiritalis ad Deum conversio. Haec duo se mutuo ponunt, & tollunt, cum aversione posita, removeatur conversio, posita vero conversione, cessat

▲

6719